

*Sic scriptum est, Christum pati,
et resurgere a mortuis die tertia.*

✠ Lectio sancti Evangélii secúndum Lucam

24, 35-48

In illo témpore:

³⁵ **N**arrábant discípuli, quæ gesta erant in via,
et quómo modo cognovérunt Iesum in fractióne panis.

³⁶ Dum hæc autem loquúntur,
ipse stetit in médio eórum
et dicit eis:
«Pax vobis!».

³⁷ Conturbáti vero et contérriti
existimábant se spíritum vidére.

³⁸ Et dixit eis:
«Quid turbáti estis,
et quare cogitatiónes ascéndunt in corda vestra?

³⁹ Vidéte manus meas et pedes meos,
quia ipse ego sum!
Palpáte me et vidéte,
quia spíritus carnem et ossa non habet,
sicut me vidétis habére».

⁴⁰ Et cum hoc dixisset,
osténdit eis manus et pedes.

⁴¹ Adhuc autem illis non credéntibus
præ gáudio et mirántibus,
dixit eis:
«Habétis hic áliquid, quod manducétur?»

⁴² At illi obtulérunt ei partem piscis assi.

⁴³ Et sumens coram eis manducávit.

⁴⁴ Et dixit ad eos:
«Hæc sunt verba quæ locútus sum ad vos,
cum adhuc essem vobíscum,

quóniam necesse est impléri ómnia,
quæ scripta sunt
in Lege Móysis et Prophétis et Psalmis de me».

⁴⁵ Tunc apéruit illis sensum,
ut intellégerent Scriptúras.

⁴⁶ Et dixit eis:

«Sic scriptum est,
Christum pati
et resúrgere a mórtuis die tértia,

⁴⁷ et prædicári in nómine eius pæniténtiam
in remissionem peccatórum
in omnes gentes,
incipiéntibus ab Ierúsalem.

⁴⁸ Vos estis testes horum».

Verbum Dómini.